

## V

## LYCIENSIS

Lyciensis dioecesis e Provincia ecclesiastica Hydruntina seiungitur et Apostolicae Sedi immediate subicitur.

IOANNES EPISCOPUS  
SERVUS SERVORUM DEI  
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Cum a nobis expostulatum sit ut dioecesis Lyciensis, adhuc Hydruntinae metropolitanae Ecclesiae suffraganea, directo Apostolicae Sedi subiceretur, adhibitas preces admittendas esse censuimus, illud persuasum habentes hoc in Lycensis pro tempore Antistitis decorem esse cesurum. Haec enim Ecclesia, antiquitate venerabilis, monumentis illustris, magna nostris temporibus cepit incrementa civilisque Provinciae caput fuit declarata, illudque mirabile fuit quod una cum civili progressu christiana Me flammam summopere aluit christianaque vitae optima dedit documenta. In quibus Eucharisticus Conventus profecto annumeranda est, paucis abhinc annis habitus, ad quem plurimi ex universis Italiae regionibus convenerunt, Christi supernum regnum et gratiam celebraturi. Quae cum ita sint, novae rerum condicioni aptius providere cupientes, Nostramque simul benevolentiam erga Lycensem populum exprimere volentes, consilio auditio venerabilis Fratris Nostri S. R. E. Cardinalis Sacrae Congregationis Consistorialis a Secretis, atque eorum consensu suppleto qui hac super re aliquid iuris habeant vel se putent habere, summa Nostra potestate Lycensem Sedem a Provincia ecclesiastica Hydruntina, in Apulia exstante, separamus eamque Nobis et Apostolicae Sedi directo obnoxiam facimus, contrariis minime obstantibus. Haec Nostrae voluntatis decreta exsequenda curabit venerabilis Frater Carolus Grano, Archiepiscopus titulo Thessalonicensis atque Apostolicus in Italia Nuntius, factis ad id necessariis facultatibus, cum potestate alium etiam delegandi, dummodo virum ecclesiastica dignitate ornatum. Re vero acta, idem documenta exarari faciet eaque sinceris exemplis ad Sacram Congregationem Consistorialem quam primum mittet.

Has vero Litteras nunc et in posterum efficaces esse et fore volumus ; ita quidem ut quae per eas decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Quarum Litterarum effi-

cacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per has Litteras iisdem derogemus omnibus. Quapropter si quis, quavis praeditus auctoritate, sive sciens sive insciens contra egerit ac Nos ediximus, id prorsus irritum atque inane haberi iubemus. Nemini praeterea voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo harum Litterarum exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae hisce haberetur, si ostenderentur. Quae Nostra decreta in universum si quis vel spreverit vel quoquo modo detrectaverit, sciat se poenas esse subiturum iis iure statutas, qui Summorum Pontificum iussa non fecerint.

**Datum Roma, apud S. Petrum, die duodicesimo mensis Septembris, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo, Pontificatus Nostri secundo.**

**IACOBUS A. Card. COPELLO**  
*S. R. E. Cancellarius*

**MARCELLUS Card. MIMMI**  
*S. Congr. Consistorialis a Secretis*

**Franciscus Tinello**  
*Apostolicam Cancellariam Regens*

**Franciscus H. Ferretti, Proton. Apost.**  
**Caesar Federici, Proton. Apost.**

**Loco £8 Plumbi**

*In Ap. Can. tab., vol. CIV, n. 89.*

## VI VIETNAMENSIS

**In Vietnamensi regione Hierarchia Episcopalis constituitur**

**IOANNES EPISCOPUS**  
**SERVUS SERVORUM DEI**  
**AD PERPETUAM REI MEMORIAM**

**Venerabilium Nostrorum S. R. E. Fratrum Cardinalium Sacro Fidei Propagandae Consilio praepositorum sententiam probantes, qui, post auditum dilectum Filium Marium Brini, Apostolicum in Indosina Delegatum, opportunum esse peraptumque rei christianaee aestimaverunt in Vietnamensi regione Hierarchiam Episcopalem constituere, re Nos**